

146

144

150

140

155

135

195

095

245

045

Ende

Anfang

131

Sed dum tempestas permaneret, aliqui nobiles milites facti in  
Jerusalem perversi, dicebant; quod ab orationibus cessaremus;  
credentes quod propter orationes nostras tempestas magis  
saeviret, et interrupentes psalmodiam et letanias dixerunt:  
si orationes vestrae essent Deo gratae, jam dudum essemus  
ab his periculis erepti. Sic absque dubio, si Eucharistia in  
navi conficeretur, idem contingere. Putarent enim rudes et  
dubiosi seculares, quod praesente sacramento nihil triste  
accidere deberet, et si accideret, ejus praesentiae adscriberen-  
tent. Sic fecerunt filii Israel ducentes secum in paelium  
arcam Domini, putantes se nihil posse pati ab inimicis. Sed  
eo non obstante prostrati fuerunt, et arca Dei capta, ut  
habetur 1. Regum. 4. Magis enim est irae Dei provocativum  
indigna et irreverentialis contrectatio et circumductio, quam  
humilis et timida dimissio. Sic etiam aliqui rustici faciunt  
suos curatos sacramentum Eucharistiae per campos deferre,  
ne segetes grandine annihilentur: et si segetes proficiunt,  
parum grati sunt; si deficiunt, scandalizati manent, et contra  
Deum murmurant. XV. ratio, quare Eucharistia in navi non  
est sumenda, propter evomitationem facilem et subitam. Si  
enim sacerdos jam Missam celebrasset, et tempestas advenerit,  
cogeretur vi naturae Eucharistiam vomitu ejicere, nec posset  
retinere, et hoc est horribile audire. Ideo pia est illa sacra-  
menti privatio. Tertium tempus, quo in galēa laudant Deum,  
est in occubitu solis: tunc enim omnes congregantur ad malum,  
ubi est galēae forum et genibus flexis cantant: Salve Regina;  
et in singularibus angustiis praemittunt letanias. (B) Post  
Salve facit cum fistula signum camerarius domini patroni, et  
statim in alto pronuncians optando omnibus bonam noctem ex  
parte patroni, et iterum sicut mane ostendit tabulam b. Vir-  
ginis, ad cuius ostensionem dicunt tria Ave Maria, sicut fieri  
solet sero ad pulsum. Et istis actis descendunt peregrini in  
carinam ad cumbas suas. Porro post peregrinorum abscessum,  
cum jam tenebrae incipiunt esse, stat scriptor galēae in  
castello, et incipit quoddam carmen longum, in lingua vulgari  
italica, et annexit letaniā, ad quam omnes galēotae et  
navis officiales genibus flexis respondent, et multa ibi dicunt,  
et protrahunt orationem quasi ad quadrantale unius horae.

9 \*

